

Or. 250. 119

Z c
391

*Trina favente unitate
Litamina Votiva
Quibus*

**REVERENDO
ET DOCTISSIMO
DOMINO GEORGIO**

John Pastori in Subtitz Sponso

ET

Animi venustate lectissima Virgini

ANNÆ

HONESTI VIRI BAR-

**THOLOMÆI Rühnens / Civis & Sartoris
in urbe Frobergi p. memoriae, relictae
filiae Sponsae.**

*Felix Coniugium gratulabundi Compre-
cantur fautores, patrueles, discipuli & amici ipso
nuptiarum tempore, hoc ΕΤΕΟΜΑΧΗΜΕΡΟΔΙΣΙΧΩ
comprehensio.*

*En saX oCrobriS ter sexta & septima LVXIIt,
Vt LICht LeCht IVra CVnaa sVbit.*

Christianus Trencknerus.

X 2055565

ΕΥΧΗ ΓΑΜΙΚΗ.

Εὐχομ' ἵμ' ὑμετέρας νυμφεύματ' ὄρκια πισά
 πρὸς τῶν ἀνδρώπων ὡσι, δεῖτ' ἀγαθῶ.
 σύνθεσις ἀγνείας πρὸς φάρμακον ἠδὲ σωέσγη,
 ὅπως ζῶτον αἰεὶ εὔτε καὶ εὐσεβέως.

ECHO NVPTIALIS.



Allibus in gelidis habitans nova metra fer Echo,
 Tu sone brumalitempore cane? Echo: cane.
 Ergo canam, Sponsus dum Sponsam ducit ad aram,
 Anna virago illa est, quam sibi quærit? Echo: erit.
 Imò erit; at Sponsi cur iam mutabilis est vox,
 Hic varijsq; modis cur ita clamat? Echo: amat.
 Dicitur, hunc Sponsum binas adamare Neæras,
 Subtitz & Froberg: est ita clamor? Echo: amor.
 Est subtitensis Christo devota, dicata &?
 Sed Froberg Ionæ fulgida Nais? Echo: ais.
 Fortasse hic Sponsus Sùbtitz iam Naide ducta
 Tendet, ibiq; Dei verba sonabit? Echo: abit.
 Solus abit? vel certè illum comitabitur Anna?
 Anna Audacula ei est ritè parata? Echo: rata,
 Sic fortuna iuvat Ionam, dum sponsa petita
 Soli ipsi maneat, detq; levamen? Echo: amen.

M. Stephanus Hering, Pastor
 Radebergensis,



Edibus ætherijs fiunt connubia; at illa
 Arctat in his terris perbene mysta facer.
 Tale tibi modò contingit, clarissime Sponse
 Coniugium; à Superis dum nova nupta datur,
 Quam tibi confociat vinclo metuente resolvi,
 Prompta Dei iussu dextera Thèiologi.

Sponsa



Sponsa datur, quam virtutum chorus undique cingit,
Eusebie, probitas, Candor & alma fides,
Moribus antistat reliquis ac arte puellis,
Nil aloes, multum pectore mellis alit,
Ergo tibi grator tali de compare, vestro
Adprecor ac thalamo gaudia mille novo,
Et veluti vitis patulæ subnectitur ulmo,
Et sterilem per se, laudis honore beat,
Sic sobole innumerâ coniux te ditet & ornet,
Nunc data, mox solito nomine matris ovet.
Addita præterea vobis sint usque honorum
Gargara, sit variâ dote referta domus.
Vera Dei atque hominis proles pia vota secundet.
Est homo, & humano gestit amore DEVS.

*M. Caspar Fugerus, Dresd.
Iudi patrij Corrector.*

Virtus solet placere multis,
Multis divitiæ, placentq; multis
Honores, aliisque sermo suavis,
Et quod præterea queat referri:
Hic hoc optat, & illud optat ille:
Quæ per se bona sunt, nec improbanda:
Sed tu Sponse, nec hoc, nec illud optas:
Præstantem pietate vis maritam,
Hanc DEVS tibi donat. Ergo grator.
*Mendax gratia, pulcritudo vana,
Quæ timet Dominum, illa laude digna est.*

*Prov. 11.
v. 29.*

*M. Samuel Rüling P. L.
& Cantor Dresda.*

A 2

EGRE.



ΣΚΥΦΩΜΑ.

EGREGIAM cælebs Monachorum vita meretur
Laudem, qui fieri possunt sine coniuge patres:

Nec tamen est illis Virgo, nec ulla Thais,

Amplexantur enim nocte paterculi

Fædam Venerem, nimis ter impurissimam

Manè sed cultu venerantur omni

Innuptam MARIAM, DEI

Sanctissimam puerperam,

Hic ille cælibatus

IESVITICVS.

Improbat illum

Ter optimus

IEHOVAH:

Qui potius iubet, & requirit,

Carne sic unâ duo copulentur

Alterum alter ut adiuuare possit:

Proleq; mundus

Virescat.

GEORGIUS IOHNAS

Hinc pius & sapiens

Audit, qui sibi, dum sit neoMysticus

ANNAM piè ducit puellam AVDACVLAM,

Fortunet, foveat, prosperet, ornet, amet

Vndiq; conatus tam sacros OPTIMVS ILLE,


A qVo ConlVGIl bona origo Manat & orDo,

suo olim Collegæ optimo l. m^q f.

Petrus VVerdermannus, scholæ

Mülberg. Moderator.

Omne

 Mine nunc IONÆ fortuna binomine favit,
Inq; animi titulo, corporis inq; novo.
Qui coluit CHRISTVM, didicitq; fideliter artes,
Mittitur ut CHRISTI dogmata præco sonet.
Vota vovens IOVÆ costâ de compare, compos
Fit desiderij nunc in amore sui.
Munus utrumq; datâ, nataq; in lege præhensum,
Spiritus illud, & hoc Carnis ad officium.
Finis utriq; etiam sacer est, ut Vinea CHRISTI
Flóreat, & generi surgat in orbe genus.
Ergò novus CHRISTI costâq; Minister, utrumq;
Et CHRISTI, & costæ munus honestet idem.
Det DEVS hoc; votis ad utrumq; vocatus, ut aptè
Illius in laudes, in latus huius eat.
Cætera quæ nequeunt festino Carmine reddi,
Augeat Alma Venus, prosperet ipse DEVS.

E I D E M.

C Vm rogitas qualis tua sit IONA, ANNA, roganti
Par dabo responsum crede rogatus ego.
Pulcra, sat est? dotata, sat est? pudibunda, sat est?
Sed
Nec nimium brevis, aut ANNULA longa, sat est?
Accedit Pietas, iam te quoq; testor, an isthæc
IONA, tua ANNA, refer, Qualificata, sat est?

*Gregor. Mühsbach Vet. Dresd.
pro-tempore scholæ patriæ
moderator.*



Mnia succedunt faustè, Neonymphæ GEORGI,
IOHNA, de toto pectore fise DEO.

Nam nuper iussus cœlestia verba docere,
Et monstrare gregi, quæ sit ad astra via:
Iam tibi fortunæ socia, expectata puella,
Casta, pudica, datur. Grator utrumq; tibi,
Vivite Nestorem, sano sed corpore, tempus,
Turbet & hoc sanctum nulla querela iugum,
Vivire concordēs, concordī in amore iugati,
Proleq; fœcunda multiplicare domum,

*Honoris & amoris ergò Præceptoris
suo F. DRESDAE,*

Adamus Henricus à Quingenberg.

O Mnia fausta tibi, charissime sponse GEORGI,
Atq; tuæ Sponsæ, corde animoque precor.
Copula vestra DEO sit grata, Marita Marito &
Bellè conveniens, blanda, pudica simul.

Jonas Quirinus à Quingenberg.

Vos Sponsi cupitis quanta ambo pectore ab imo,
Munificus vobis tanta det ipse DEVS.

Iohan Christophorus à Quingenberg.

Qvi vos coniugio iunxit DEVS, is quoq; iunctos
In seros annos, augeat, ornet, alat.

Rudolphus à Drandorff.

Felix

Felix ille dies quo copula sancta, Georgi,
Fert nova iura tibi, sic mediante DEO.
Optima iura tori sint iura hæc, iuraque læta,
Quis sponfa arridet floridulo ore nitens.
Inde cubile feret prolem, victumque culina,
Cella merum, fructum, cum prece, pinguis ager.
Hæc precor ex animo vobis: mea vota secundet
Autor coniugij, qui pia vota dedit.

*M. Georgius Wagnerus,
Gottliebensis, Sponsi
successor.*

Videntes DEVS ipse iuvat, nec Gratia linquit:
Nec, qui non audet, rusticus auget agrum.
Et tibi binus ager commissus munere CHRISTI,
Qui CHRISTI & Paphiæ Marte colendus erit.
Fraus male dicta, DEI cui non sunt munia cordi,
Et cui non Veneris, Fraus malè grata iacet,
Fertilis assiduo si non removetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramina spondet ager.
Iure colonus ovas, cui tantum nominis omen:
Audentem DEVS, & Gratia prompta iuvat.

*Amico & populari suo
integerrimo adiecit*

*M. Mattheus Richter,
Lips. S.S. Theol.
studiosus,*

Mira

Mira Deus summus, qui roscida temperat astra,
Fata suis famulis monstrat, ducitq; viarum
Anfractus: proprio exemplo testaris, amice:
Nam te Cantorem vidit Mülberga peritum
Primum, post iterum Philyrea excepit alumnum,
Insignis virtute Viri de stemmate claro
Audires donec formator in arte iuventæ,
Cuius & assensu, re, consilioq; fideli
Pastor es egregius gregis almo sanguine Christi,
Parti. Nunc tandem sis Sponsus. Quantus in vno
Emicat artis honos Dominiq; potentia summi
Cum bonitate Dei: Tantos hos grator honores:
Frug. fer esto precor, SPONSVS, Pastorq; fidelis!

*M. Christoph. Neander Coldic.
S.S. Theol. Stud. al. Elect.*

Sacra paraturus Iovæ, sacra festa, Georgi,
Dionæ indicis concelebrasq; prius.
Qui sic: Nempe Tibi duplex commissus agellus
Nunc est: Culturam poscit uterq; suam.
Primus ager sacer est, quem scindere legis aratro
Debes, & fidei semine conferere,
Fructibus & facies bis luxuriare trecentis,
Grandia laturus præmia melle Dei
O fortunatos illos, bona qui sua norunt,
Agricolas, & opus Iovæ animanter agunt.
Ut verò proprijs agrum hunc quoq; fructibus ornes,
Cælica qui repleant horrea, id unus agis,
Atq; idcirco Tibi proprius selectus agellus,
Qui dignus dignâ sedulitate Coli,

Qui

Qui quoq; si fuerit bene consitus, ubere Proles
Fœnore Te potis est exhilarare satis.
Conferere ut possis, solito exercereq; Cultu,
Spemq; novi fructus concipere indubiam,
Sacra paraturus Iovæ, sacra festa, Georgi,
Dionæ indicis, concelebrasq; prius.

II.

Ante retroq; suum declinat Amasia Nomen,
ANNA Tua, Eccur id? Ante retroq; sapit.

III.

Cur tale impositum Tua
Nomen, quæris, Amasia,
Audacem quod eam arguat
Audax omnia perpeti
Consors Anna torsi Tui est.

IIII.

Metra poposcisti, Tibi metra recuso, Georgi:
Vota do: vis metris nescit inesse meis.
Quid? quod vota DEVS sincero corde profecta
Plus amat: & votis Tu caruisse nequis,
Sponse, licet metris possis caruisse: Salutem
Non metra, sed præstant vota litata DEO.
Metra ergo afflatum Phæbéâ mente Poëtam
Posce, Deum votis hæc tria posco Tibi:
Corpus, Egenum, Ægrum, Pascat, Sustinet, Alatq;
Cista, Crumena, Animus, Panibus, Aere, Sale.

Gratulatur

M. Fridericus Cunadus,
Pirnensis.

B

Hymenæo Sacrum.

Ferte citi auxilium, date aquas, restinguite flammam,
Ignis edax cordis iam penetrare subit.
Cingite vos Musæ, vestro & succurrite Sponso,
Pectoris heu flammis arx peritura ruit.
Cingite vos Charites, vestræ & succurrite Sponsæ,
Cui Charis ex animo ridet, ab ore pudor.
Quisnam autor Flammæ, quænam est incendiij origo?
Dignus qui culpæ præmia digna luat,
Est Amor iste puer volitans per Cypridos arua,
Qui melle, atq; graui spicula felle linit.
Quis verò poterit Flammam restinguere Amoris?
Quisnam pro Sponso Martia bella geret?
Bellula bella geret pro Sponso bella puella,
Quæ verè *Audacis* nomen & omen habet.
Illa potest hostem profugare à pectoris arce,
Illa potest vulnus tollere flammiferum.
Pronuba Iuno veni, cordis propelle dolores,
Et vinclo Veneris corcula bina liga.
Sic ratione aliquâ tolletur pectoris æstus,
Cum binis Sponsis mens erit una simul.
At dicto citius longâ comitante caterva
Iuno venit, iungit, copulat, arctat Amor.
Gratulor ex animo, sit vobis una voluntas,
Pax concors tecti cingat utrumq; latus.
Vivite felices, dilecti pignora lecti
Det DEVS, ille duit sint rata vota precor,

Patrueli suo longè charissimo
scribebat Lipsiæ

Simon Ihon Lipsiens.
L.L. Studios.





I.
Conduplicabuntur tibi posthac Sponse labores
 Dum Nova Sparta venit, dum nova Nupta
 venit.

Scilicet utramq; hanc curare decenter oportet
 Te, si delicti crimine liber eris:
Crimine liber eris, recte & curabis utramq;
 Si noctem huic, illi si dabis ipse diem.

II.

DVm sacra Sponfos Numen venerarier æde
 Et dextram dextrâ consociare iuvat:
 Adclamo lætus: quæ iungunt fædera Sponsi
 Confirma nutu, Pronube Christe, tuo.

III.

NOmne, SPONSE, meo, SPONSAM, salvere
 iubeto
 Nocte sub obscurâ nec non vitare supinum
 Decubitum, fessos ne forsan supprimat artus
 Incubus, & grati disturbet munera somni.

Iohan: Scheibe, Brandis,
 Ph. C. & Al. El.

I.

CVm, Neonymyhe, sies Pastor, tibi cura recumbis
 Commissum adserues providus usq; gregem:
 Hinc non immerito Audacem tibi iunxeris Annam,
 Infestos tecum pellat ut inde lupos.

B 2

Qua

II.

Qua nunc Sponsa suo nuptum venit Anna Georgo,
 Nomine non solum Grata puella venit:
 Grata sed imprimis est mentis ab indole, Grata est
 Ingenij & genij dexteritate sui:
 Grata est seu digitos spectes, seu brachia spectes,
 Seu spectes roseis ora venusta genis:
 Grataq; Sponsa suo non venerit ista Georgo
 Qua iam Grata simul nomine reoq; venit?

III.

GRata est qua solidam laus è virtute paratur,
 Gratus & ingenua qui venit arte decor:
 Gratæ sunt & opes recte paratæ atq; decenter,
 Grata quoq; est sedes commoda si qua datur,
 Gratus quin etiam Cibus esurientibus extat,
 Gratum, diraxat cum sitis ora, merum:
 Verum Sponse tibi tua Gratia Grator extet
 Laude, decore, opibus, sede, cibo atq; mero!

Adamus Tulsnerus Ilcb.
 Lipsia F.

SIm quis ego? merito quæras lectissime Sponse,
 Carmina ad ignotum dum tibi scribo locum
 Scilicet ille tuus Priesterus, patria iunxit
 Quem tibi, Musarum ac irresolutus amor.
 At quidnam Scribam, quibus aut te laudibus æquem
 Ignoro, sat erit, si tria verba dabo:
 Det DEVS ut proles numerosa ante ora parentum
 Lusitet, & vester sit sine lite torus.

Quod

Quod superest hominum divumq; æterna potestas

Vos bene florentes servat in orbe diu.

Quod tibi ut eveniat, lectissime sponse, rogabo

Christum, qui vanas non sinit esse preces.

Andreas Priester Lips.

ACROSTICHIS HEROICA.

Gratulor optatæ rædas tibi sponse puellæ,
E t tibi delectum grator quoq; sponsa maritum,
O ptatos thalami qui iam celebratis honores,
R egnator superi dum vos coniungit olympi.
G aude igitur Sponse, & blandâ lætare maritâ,
I ntrat quæ thalamum, quæ basia ferre parata est.
V t sua pampineæ nectunt iam brachia Vites:
S ic & in amplexus vos ite & colla ligate,
I nprimisq; tui mensuram nominis imple,
O men si modò habent tua nomina docte GEORGI,
H is nam conveniens rebus te existimo habere
N omen, cultorem referens tibi voce pelasgâ
A rvorum, en tibi quod subigas iam contigit arvum.
N um quæris quod dicam? consors ANNA cubilis,
N upta tibi quæ iungitur, hæc modò fertilis sit.
A rvum non sine fruge iuvat, sine frondibus arbor,
A c sine sole dies, gratâ sine prole torusq;
V t messem sator expectat, frugemq; colonus,
D ona tui ruris sic expectabis amæna.
A gricolam, quid fabor quod te Ecclesia fecit?

B 3

Christi



C hristi agrum dum te colere & curare cupivit,
V t semen spargas coeleste, & pabula verbi
L argiter evulges facundo scilicet ore,
A ptè igitur sponse hanc sponsam curabis utramq̃.

Georgius Pezoldus,
s. s. Theol. Stud.

F Rgò terq̃ dies quaterq̃ salve
lamdudum facitis petita votis
Atq̃ inter veteres habenda fastos!
Qua perdocte tuum torum **GEORGI**
Intrat plena genas pudore virgo,
Quam virtus, pietas, nitorq̃ morum,
Et vitæ integritas, decusq̃ formæ
Commendat, superam vehitq̃ ad æthram:
Hanc solam niveis fove lacertis;
Hæc sit dulce tibi metus levamen,
Et tristes abigat decora curas,
Ad cuius quoq̃ te perite Mystes
Subdas vincula, mutuumq̃ nexum,
Quem nullum nisi mors malum resolvat.
Sic sic vester erit torus beatus,
Sic vobis tribuet Sacri repertor
Primus coniugij secunda fata,
Cumæq̃ dabit dies senectæ.

Lipsia F.

Christianus Trencknerus
Alum. Electoralis.

Salvifici

S Alvifici spernens cœlestia dogmata verbi,
Spernit legitimi fœdera casta tori;
Nam Pater ætherius tædæ est primarius autor,
Legibus ac sanxit talia iura suis,
Mœnia de nihilo patuli cum conderet orbis
Inq̃ iugo Sinai iura colenda daret.
Gratulor ergò tibi Patruelis amande, Tonantis
Exequeris quoniam iussa sacrata piè.
Non te turpis amor, non te vesana libido
Impulit, ast superi cœlica verba Patris.
Lætor, & hoc facinus laudans tibi docte Georgi
Atq̃ noyæ nuptæ prospera quæq̃ precor:
Vos regat æternum divini Flatus amoris,
Pignora det thalamo, det Piliq̃ dies.

F. Witteberge

*Andreas Iohn, Veterodresdensis
Sponsi patruelis.*



D R E S D Æ.

Typis Gimelis Bergen.

A N N O.

M. DC. XIV.

Zc 391 AK

Handwritten text, possibly a title or address, mostly illegible due to fading and bleed-through.

M. DC. XLV

Handwritten notes in the bottom right corner, including "107" and "M.C."



Ok. 250. 19



Trina fav

Litamin

La

REVER

ET DOO

DOMINO

John Pastori

Animi venustate

AN

HONESTI

THOLOMÆI R

*in urbe Trobergf
filiæ*

Felix Coniugium

cantur fautores, patrue

nuptiarum tempor

comp

En fax oCrobri's ter se

Vt LICht LeCel



Z c
391

X 2055555

